



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. IV. Proponuntur, & resolvuntur aliæ quædam quæstiones, circa collationem beneficiorum excommunicatis factam?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

§. IV.

*Proponuntur, & resolvuntur alie  
quadam quaestiones, circa collatio-  
nem beneficiorum excommu-  
nicatis factam?*

**C**um eo, qui in excommunicatione beneficium accepit, dispensari potest, & quidem ab Episcopo, ut recine illud possit, prout colligitur etiam ex *cit. cap. postulatus*, nisi hic ipse Episcopus tale beneficium contulisset, quia cum ipse peccaverit in conferendo, non est dignus, cui gratia dispensandi concedatur: & quamvis hæc dispensatio non necessarium fieri debeat, sed sit mera gratia, si tamen bonum publicum, aut vitandum grave scandalum, vel aliud incommodum &c. eam exigat, negari non debet. Quod si tamen excommunicatus quidem ille fuerit, cui beneficij collatio facta est, absolutus tamen fuerit ante collationem factam, vel factam sibi ante excommunicationem collationem, excommunicatus postmodum, acceptaverit tantum, collatio in utroque casu valida est, cum in illo casu præcedat quidem collationem excommunicatio, præcedat tamen etiam absolutio ab excommunicatione, & consequenter habilis ad omne officium spirituale hic factus est; in altero vero casu acceptatio beneficij fiat quidem ab eo, qui in excommunicatione positus est, collatio tamen habili fuit facta. Neque tamen sufficit, ad hoc, quod in primo casu dictum est, fuisse talem vi privilegij tantum, aut Bullæ Cruciatæ pro foro conscientie absolutum, cum pro foro externo sive contentioso talis absolutio nihil illi proffit, ergo pro hoc foro habebitur adhuc ad beneficium obtinendum inhabilis, prout dicitur etiam

*Compend. Pirking.*

declarasse sacra Congreg. Conc. nisi in ipso privilegio v. g. dicatur, quod absolutio, vi illius data, etiam in foro externo proffit.

§. V.

*An & quando excommunicatus, suspensus, vel interdictus clericus exercens actum ordinis sibi prohibitus, fiat irregularis, & qua conditiones requirantur ad hanc irregularitatem incurrendam?*

**S**i excommunicatus majore excommunicatione scienter exerceat actum proprium, saltem majoris ordinis solemniter, & ex officio, ipso facto fit irregularis, uti colligitur ex *cap. ult. h. t.* quæ irregularitas etiam à suspensio, & personaliter interdictio, incurritur, si ille solemniter actum ordinis sacri, à quo suspensus est, exerceat, vel si hic solemniter exerceat actum ordinis sacri, à quo interdictus est. Ad hanc autem irregularitatem incurrendam duæ conditiones requiruntur. Prima est, ut exerceat actum proprium ordinis sacri, à cujus exercitio prohibitus est per censuram, quam patitur. Secunda est, ut solemniter talem actum exerceat, id est, cum ea solemnitate, qua secundum jus, aut consuetudinem Ecclesie actus talis ab habentibus ordinem talem exerceri solet: & hinc etiam si Diaconus excommunicatus, suspensus vel interdictus, cante Evangelium, sine stolâ tamen, aut Subdiaconus taliter censuratus canat Epistolam sine dalmatica tamen, vel sine manipulo, non incurrit hanc irregularitatem, cum nec actum proprium ordinis sibi prohibiti, qui quoad substantiam ab alio exerceri non possit, nec solemniter

Iii ij

tes